m

, cum

re, & Corpus

ns, cum

Evang

In Festo Epiph.

com.

seque-

com.

27 Sabb

[illegible]

10 / 15 C. / 15.

50
50

Angefangen
und nicht fort-
gesetzen

MUSÆUS
INTER SEPVLCHRALES VMBRAS,
Erudito capite, emeritisq; humeris,
EMINENS,
Perillustris olim Clarissimus & Admodum Reverendus D.
M. SAMUEL JOANNES PODGORSKI,
Sacræ Th. Professor, Collega Major, Ecclesiarum Collegiatarum Sandomiriensis & S. ANNÆ Crac: CANONICUS, in Ecclesia Cathedrali Crac: pro Festis CHRISTI Domini & Beatissimæ V. MARIÆ CONCIONATOR, in Archipræsbyterali PÆNITENTIARIUS, S. Authoritate Apostolica NOTARIUS Publicus, PAROCHUS in Smarzowice, Librorum per Diœcesim Crac: CENSOR, S. R. M. SECRETARIUS, Vir de Ecclesia DEI & Republica literaria meritissimus.

DUM EI

Justa Parentalia in Ecclesia Collegiata S. ANNÆ Crac: à mæstissimis Ordinibus Academicis magno omnium dolore persolverentur,

A

M. STANISLAO MARKIEWICZ,
Phil: Doctore, Collega Minore, ibidemq; Ordinario Eloquentiæ Professore, Parocho Stradoviensi,

Lugubri elogio ad Elysium,
DEDUCTUS.
Anno Domini 1712. Die 13. Decembris.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

MUSÆUS
INTER SEPULCHRALES UMBRAS,
Erudito Capite, emeritisq; humeris,
EMINENS.

Erroneum cæcæ mortis opus,
omnes quidem mortales sepulchralibus umbris involvit,
sed non totos.
Ex senaculo Musarum Viri,
dum sublimi sidera vertice feriunt,
feralem in terris Libitinæ ictum, parte sui meliore, effugiunt.
Cedant promiscua plebis capita, sub fatorum falcidiam legem,
hæc Sapientibus non est posita.
Vir Sapiens, os humerosq; DEO similis,
eos ex communi sorte effert,
& sidereæ luci per Cleanteam initiat.
Inter continuos immortalium operum ardores,
Stipitem Altheæ, incombustum tenet,
ex quo Mercurium faciat, sui præconem.
Nimirùm,
Sapientiæ Majestas, sedem suam, erudita capita,
Capitolia potiùs dixerim,
fatalium Senonum telo, expugnari patietur?
Si Vir Sapiens dominabitur astris, & uno minor Iove est,
quidni fulgurante ingenij splendore,
tristes funerum umbras, scindat, & dissipet?
Stupendas olim ad sepulchra lucernas, per secula duraturas,
antiquis non invidet.
Pharumq; Canopo relinquit:
cùm literatam operam, oleumq; capitis inextinctum, gestet,
ipse suæ gloriæ lampadophorus.

Etsi

Etsi aliquando, ad lapidem sepulchralem, cadendum
lapis ille Lydius est;
in quo caput, aurum optimum, vivos fulgores exprimit.
Quod si Musa vetat mori,
Parnasseum eruditi capitis verticem,
nullæ funestæ obtendent nubes,
quem, cum auricomo Phæbo, Musarum chorus insedit.
Meritorum brachia,
& eburneos, plusquam Pelopis humeros,
gemmeo literarum pondere limatos,
quæ pullata umbra decolorabit?
Non frustra, Cumana Sybilla,
Musæum, Græcum Theologum, Scientiarum compendium,
vidit in campis Elysij, capite & humeris cæteras animas superare.
Hæc nempe dos Sapientiæ est,
etiam sub depressione fatorum, eminere.
Sic hodie emines,
Lauruq; immortali, cupressum vincis,
Perillustris olim Clarissime & Admodum Reverende Domine,
SAMVEL JOANNES
PODGORSKI,
Sacræ Theologiæ Professor,
Olim Scientiarum compendium, nunc dolorum.
Saul quondam à Samuele regnare jussus,
in toto populo, ab humeris, & sursum eminebat.
At tu Samuel & Musæus,
Sacrâ diphtera, & Cyrrhæa cortina insignis;
Mentes, simul & montes,

A

parr-

pariter Heliconis, ac Olympi superas verticem:
prægnantes, lacrymis, animorum nubes, deserens.
Quàm fausta dies? qua te ad Vniversitatem Crac: contuleras?
ex hodierno mærore, metiri licet,
dum altum, omnibus indicis gemitum.
Ex Dactyliotheca enim Almæ Matris, excidis gemma.
Commodasti Academicis Musis cum ætatis florem,
quem jam maturè explicatum, in sapientiæ Elixir eliquare possent.
Tum Apollinis assecla, cùm ejus arcum tendere valeres.
Pulchrum est, alibi crepundia cum prætexta ponere,
ut hic sub jure togato, pacatum te exhibeas;
ubi ludere par Phæbi cum Minerva,
equitare in Pegaso, non ultra Hippocrenen,
& solo animi motu, cursare, licet. (tedes
Capax concha ingenii, ad cæl[illegible] se, suspiriis pro-
instillatum brevi, scientiarum concepit rorem,
quo mox totus gemmeus fieres.
Sic pretiosus intra, abextra pulcher lauru effulseras
sub qua jam, serenè tonare posses.
Insertus Cathedræ Doctor,
Annulo Beryllus, Lyceo Musæus.
Hederâ tamen hac, scientiam non venditans,
quantùm tibi deesset ad perfectionem, semper,
nunquam, quantùm eruditionis virtus operosa
collegit, cogitabas.
Orphea, non Morphea sequens,
intimos, sapientiæ, scrutabaris Delphos;
ut tandem, indagantibus, Oracula panderes.
Prodijsti ex Antro Corycio,
privatâ nimirùm tui ingenij culturâ,
ad patentius theatrum.
Novodvorscianam succrescentem Musarum
aulam cultiorem facturus.
Hic tu Alcinous, teneras adolescentum plantas,
Adeo

adeò feliciter irrigasti:
ut biferæ factæ, in Regni & Ecclesiæ area,
Hesperidum superarent fructus.

Sic totus Musæus,

ad Minorem Sapientiæ non tam vocaris,
quàm invitaris Domum;
quæ in te Microcosmum, eruditionis venerata,
angustias suas erubuit.
Ruborem tu illi exuens, ad pallorem provocabas,
quo, jugiter non declivi brachio, onera, honoribus præferendo,
libris impallescendo, & in sicco sapientiam degentem, quærendo
magis ponderosus & conspicuus eras,
quàm alij pingues sanguinis vtres.
Ita est: marcere vultum, maturescere ingenium necesse:
Et Cynthiæ colores, ante Phæbeum splendorem induere.
Palladium olim, in arcano Vestæ, virorum oculis inconcessum:
Quia rari ad intima sapientiæ pertingunt;
sine lampade Vestali, continua nimirum lucubratione procedentes.
Hac tu illustratus, domum tuã Encyclopædiã fecisti;
ut passim ad te confluentium,
eruditionis causa, ingenia cuderes.
Et certè, sæculum hoc,
si Numas Reges haberet, scientiarum avidos,
ad te illi, ut quondam ad Pytagoram
cum maximo gustu, se conferrent.
Isocratis domus, cunctæ Græciæ, literarius ludus;
& dicendi officina erat.
Non minùs tua, ex qua velut ex Apotheca,
nulli non licuit, condimenta politioris vitæ efferre.
Os tuum, gemifluo nectare plenũ, cum loquereris,
Calamus tuus, Phœbi radius,
immensum splendorem, his invexit, quibus sepiam.

Ad Giganteum meritorum cursum,
accessit Philosophicus:
in quo tu, explanando, non per vicos discurrens,
sed ad limam sedens,
& in terminis stans ruminandis, vt Stoicum decebat:
in ponte Logico, perspicax Cocles eras;
in Physica Euripum ratione tranasti:
Levis alga sæpe cursum navis moratur:
at tuum nulla commoda,
quin remigantium tibi te, calamis, candida vela dares.
Cumq; jam te, Minor Macedonia, non caperet,
Suscepit Major Sapientiæ Domus;
habitura ex te maximum fulcrum.
Et mox, honorat Decanali purpura,
in talibus nonnisi humeris, non erubescente.
Gabinus hic, Philosophica certamina indicens,
invenit, cordatum, literarum, heroëm,
qui ex omni congressu, sapientiæ trophæum fixit.
Bis eo murice, insignitus erat,
ut pateret purpuram animi, & virtutis ejus esse bistinctam,
relabente, ad eum, Tyrio Ostro,
qui apprime novit, in senaculo eruditorum, principare.
Pacatum animum, halcyonia, & etheſias spirantem,
nulles, rixa calens, doctusq; tumultus, in publicum extulit.
Vt evicta veritate, sola hæc quæstio indecisa, maneret,
an Pythagorica Sapientia, suam in eo admiserit Metempsychosim?
& an Cosmosophus, an Theosophus, dici deberet.
Cùm Conclusiones oppugnaret,
Cecropias etiam Minervæ arces, expugnaturus videbatur.
Sed heu! quod hodie, argumentum posuit in Festino:
Fecit Præcisionem magnæ mentis à corpore;
& ex plausibilibus vitæ Præmissis, intulit sui, in urna, Conclusionē.
Hâc

Hanc enim Maximam ſemper habuit,
Bene, doctè, vivere, & argutè mori:
in Conſequentia vitæ, cum Platone, de anima, mortalitatem, diſtinguendo.
Sophiſta nonniſi Fatorum,
Topicos cælos habet.
Sed volupè eſt, adhuc, hinc abeuntem, intueri.
Nec difficilè videre, ex Eccleſiaſticis exedris,
eminentem, ultra humeros, Muſæum.
Hîc, ille Pericles, quoties tonavit,
toties pænitentibus, amarum indixit imbrem.
Cælitûm encomia cùm propoſuit,
ab illis Nuntium putares,
ad normam Eorum ſeſe componentem.
Examinator Synodalis, & Ordinandorum,
Sacras Muſas, ubiq; circumtulit, totus Muſæus.
Eccleſiæ D E I, in eo maximè proficuus,
quòd ingenia, magis erudiret, quàm examinaret.
Idea Myſtarum;
diem, in ſacras ſtationes, noctem, in vigilias diviſit.
Docuit Corybantes ſacrificulos, imitari,
apertis oculis in cura Paſtoritia, quieſcere,
vel Atticas noctes, agere:
nec cum ſeptem Fratribus dormientibus ad januam cæli tendere.
Talem dum virtutum & Sapientiæ dat odorem,
Primatiales Roſas ſibi conciliat,
Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini,
STANISLAI à Słupow SZEMBEK,
Gneſnenſis Archiepiſcopi. Regni Poloniæ,
Primatis, Primiq; Principis.
Qui eruditorum fautor, & Univerſitatis Mecænas Munificentiſſimus,
illi, uti operoſæ api,


 cen-

centifolia, gratiarum suarum, explicuit,
Nec minus, ad mentem erat,
Augusto Capiti,
Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. CASIMIRI à Lubna LUBIENSKI,
Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ,
Cancellarij Almæ Academiæ, Faventissimi,
ad partem curarum, non leve momentum.
Totiusq; Peraugusti Capituli Cracoviēsis, desiderijs,
quæritur ad cælestes Coronas.
Inter hæc, tam plurima, acutô stylô scripsit,
ut Tulliana flumina exhausisse videretur;
& in Thusculano semper versari:
Immensum æquor, cū Erythræis conceptuū gēmis, calamo fudit.
Dædali pennam diceres, quæ se ita in altum extulit.
Aream hanc Scientiarum, cultiorem reddidit:
Exaravit enim continuò, & misit aureā semente.
Encomia Principum cùm scripsit,
ad corda penetravit.
Tylicianum Oratorem, plusquā in Romana Majestate collocavit.
Prorsus quidquid egit, dignum Iove censebatur.
Roscius in Scena, Antæus in arena.
Improbos labores, innumeros suscepit, sale, jocoq; condiens.
Cùmque maximè seria, gloriosè ageret,
lepores venari videbatur.
Comis semper & affabilis.
Vir liberali, & omnium horarum ingenio,
Simul plurima egit,
Virbius alter Minervæ,
nisi Trismegistum appellare mavis.
Iurisprudentiā, ex ipsius Sacræ Themidis lance, sumpsisse visus;
Sacros Canones, melodiæ Musarum addidit.
Ma-

Maturo judiciô enituit,
acsi consilio Deorum, semper interesset.
Prorsus nihil eum effugit,
quod Musæum, compendium scientiarum, adornaret.
Theologica summitas in eo, Olympum superavit.
Adeò enim elevatam mentem, Cælitibus familiarem fecit,
ut DEUM ipsum, in abysso æternitatis, convenire videretur.
Viator, ac si Comprehensor.
Subtilissimus ubiq; & Sapientissimus,
Viam utramq; novit, ut ad cælum pertingeret.
Ast studium, surda lima.
Immensa Meritorum series, humeros infregit.
Bono enim publico inserviendo, consumitur.
Prodigus vitium, in jugo officiorum.
Alienus enim erat, ab illo Mindyride,
quem Seneca etiam ex otiosorum consortio expungit,
qui dum fodientem vidit, solo aspectu lassatus est, & cessare jussit.
Venit ad pigros cana senectus;
citò virtus animosa cadit.
Ad Theologicam enim professionem, cùm accessit, decessit.
Speculaturus Numen, facie ad faciem.
Utinam tibi liceret, vitâ Macrobium esse,
qui Herilum expressisti,
multiplici spiritu, ad innumera opera animatus.
Locutus cum DEO, etiam in Margine vitæ.
Dumq; nox æterna, oculis increbresceret,
Dominus sit illuminatio mea, in tenebris meis,
præsenti animo, pronuntiasti.
Ita munitus omni spirituali medelâ,
inter suspiria, & affectus, in CRUCIFIXUM,
suaviter animam efflâsti.
Etiam morte tua, sine labe Conceptæ VIRGINI, subscripsisti.
nonnisi absoluta Ejus solennitate, vitâ functus,
ne triumphalem hanc celebritatem, luctu nostro, funestares.
Omnium natant lumina, in rore flebili,

quia pupilla Phœbi Academici, occidit.
Musarum fontes, lachrymis manant,
cùm Musæus noster, caput eruditum, ad Elysium effert.
Pallescunt Magni MICHAELIS Rosæ,
spinasq; doloris sentiunt, dùm tuum funus deducunt.
In vobis unica solatia restant!
qui vivum ut dilexistis, ita exprimitis,
Ultimæ Voluntatis Præstites!
Perillustris Clarissime & Admodum Reverende Domine
M. MARTINE OSLINSKI,
Sacræ Th: Doctor & Profess. Collega Major, Ecclesiæ Collegiatæ
S. ANNÆ Cracov: DECANE, &c. &c.
qui hunc, dimidium Animæ tuæ, defles, & parentalibus ornas.
Quidquid ei, de annis demptum est; tibi addatur.
Ut diutissimè Rem literariam ornes,
Sapientiæ Oraculum, vitæ speculum,
alter Academicæ Pollio curiæ.
Perillustris & Admodum Reverende Domine,
D. M. IOANNES CANTI BOGUSŁAWSKI, Phil: D.
CANONICE Vielunensis, SCHOLASTICE Neocorcinensis, Vir Cantiane
Producis amarum funus ad D. Patriarchæ Mausoleum,
non sine gemitu;
Cordis gemma & Achates:
in quo ut Pyrrhus senaculum Musarum,
sic tu Musæum nostrum impressisti.
in Senatu Ecclesiæ DEI, pretiosus Adamas,
Injuriâ fatorum inconcussus, secula vinces.
Illustris Clarissime & Admodum Reverende Domine,
M. JOANNES ŁOPUSZYNSKI,
Philosophiæ Doct. & Professor, Collega Minor, Curate in Grojec.
Musæi nostri imitator perpetue, in infirmitate solatium;
modò Nominis tui gratiam, in funebre obsequium conferens.
Excutiunt tibi somnum, hujus Miltiadis trophæa,
quæ facilè assequeris, uti jam in animis omnium triumphans.
Nos ad extremum, omni dolore,
Musæum ad Elysium, quà licet, prosequimur.
Labimur super urnâ, caros cineres amplectendo, ea vota nũcupãtes.
Ut Musæus, fontes Divinæ bonitatis, hauriat, plena visione.
Et inter gratias D. ANNÆ, & B. JOANNIS CANTIJ,
Æterne quiescat,
Positus à DEO,
SAMUEL.





Lect. 1, Noct. de
fer. *Duæ Miss.* C.
com. præc. & fer.

M A J U S.

17 Sabb: Monicæ Vid. &c. Vesp. de sequ. com. Domin. & præced.

18 Domin. 5. post Pasch. Erici Reg Mart. dupl. 9. lect. & com. Domin. CR. Credo dic. Vesp. Cap. de sequ. com. præc. item Domin. & S. [illegible] ent. Virg.

J U N I U S.

19 v. Octava SS. Corporis Chr. In Vesp. com. sequ. & S. Silverij P. M.

20 vj. Æschili Ep. Mart. dupl. *(fuit 12. huius)* 9. lect. & com. S. Mart. CR. In Vesp. com. sequ.

21 Sabb. Ubaldi Ep. Conf. semid. *(fuit 16. Maÿ)* ℣. *in hym mut.* CA. Vesp. *ut in ordinar.*

22 Domin: 3. Dedicat. &c. In Vesp. com. Domin. & sequ.

23 ij. *Extra Crac. Vigilia,* Venantij Mart. semid. *(fuit 18. Maÿ)* 9. lect. & com. Vigil. *Duæ Miss.* CR. & Viol. Vesp. de sequ. *sine comm.*

J U L I U S.

6 Domin. 5. in. 5. post Pent. Octava SS. Apost. In Vesp. com. 1. com. Dom. & sequ.

7 ij. *Crac.* Vena. Venantij Mart. semid. *(fuit 18. Maÿ)* CR. Vesp. à Cap. à Cap. de sequ. com. præc. *Extra Crac.* Mariæ Mariæ Magd. de Paz. Virg. semid. *(fuit 25. Maÿ.)* CA. CA. Vesp. *ut supra.*

iv. *Crac.* Mariæ Magiæ M. gd. de Paz. Virg. semid. 25. *Maÿ)* M[illegible] CA. Vesp. à Cap. [illegible]

SS. Mart.